

“Ita sane, sacer quoque sermo apud Chaldæos coniungit lunaribus sonis aerem, igni coelum tribuens.” Alio item loco.

Πρῶτον μέν ἵστοσαν, οτι, καὶ Αειγύπτιοι, πρὸ ἀντῶν τηρήσεσι χρησάμενοι, καὶ ἔτι πολλῷ ωρότερον χαλδαῖοι, καὶ πρὸ τῶν τηρή σὲων ὑπό θεῶν διδαχθέντες.

“Primo quidem sciant, quod ἈEgyptii quoque ante ipsos observationibus sunt usi, et multo ante Chaldæi, qui ante observationes, a Diis quoque sunt edocti.”

Loquitur autem Proclus semper de rebus iis quas superiore libro exposuimus. Deos autem intelligit, eas mentes, quas nos Christiani, cum ipsis Chaldæis, Angelos et Archangelos vocamus. Scribit item.

Τὶ οὖν φαίη τίς ἂν ἔκ τῶν τῆς ὑπερορίου θεοσοφίας ὥρμημένων, καὶ τὰ παντα διαιρουμένων, ἐις ἐμπύριον, Αἰθεριον, ἐις ὑλαῖον, καὶ μόνον τὸ εμφανὲς ὑλαῖον καλούτων, τὰ δύπερ τὸν κόσμον, σερεώμωτα.

“Quid autem quis dicat? Ex iis qui peregrina, divinaque sunt sapientia imbuti, et cuncta dividunt, in Empyreum, in ἈEthereum, in Hyleum. Et solum quod cernitur, hyleum vocant; ea vero, quae supra mundum sunt, firmamenta.”

Nec vero solum refert Proclus illorum traditiones a Deo fuisse profectas, verum etiam se illis fidem præstare, profitetur.

Κατὰ δή τόυτον τὸν λόγον, καὶ ὁ ἡλιος υπερκοσμιος ὧν, τὰς πηγὰς ἀφίησι τοῦ φωτὸς, καὶ οἱ γε μυσικώτατοι τῶν λόγων, καὶ τὴν ολοτήτα ἀντοῦ, τὴν ἐν τοῖς ὑπερκοσμίοις παραδεδωκασιν, ἐκεῖ γαρ ὁ ἡλιακός κόσμος καὶ τὸ ὄλον φῶς, ὃς αἵτε χαλδαίων φημαι λεγουσι, καὶ ἐγώ πειθομαι.

“Secundum hunc sane sermonem, etiam sol supermundanus cum sit, fontes emittit luminis. Et mysteriosissimi etiam sermonum, universitatem eius in supramundanis tradiderunt. Ibi enim solaris mundum est, et universum lumen; sicuti Chaldæorum famæ afferunt, et ego sum persuasus.”

In quæ persuasione attestatur Psellus, cum Proclo, Plotinum quoque, Porphyrium et Iamblicum fuisse. Pletho vero addit, et Pythagoram, et Platonem. Nam Pythagoras, uti Malchus, qui Porphyrius est, in eius vita scribit, in Chaldæ cum Zabraco versatus est, et eorum dogmata ab eo hausit. Chaldæorum ergo dogmata, superius relata, pro traditis a Deo, habita sunt a viris ac Philosophis, omnium maximis. Sed et Hermetem Trismegistum D.

Augustinus maxime admiratur, quo modo de Deo Patre, et Filio, et Spiritu Sancto sit in suo perfecto sermone clarissime locutus; statuitque illum eodem spiritu afflatum ea protulisse, quo afflata Sybilla de Christo multa prophetaverit. De Mose vero nemo dubitaverit, Dei spiritu plenum scripsisse ea quæ de mundi creatione scripsit. Quæ cum ita sint, quis virum viro conferendo, et singulos hosce et simul omnes, uni Aristoteli non præferat? Horumque a Deo revelatam de luce et lumine philosophiam, falsæ illi ac fatuær Aristotelicæ non anteponat?

Ad rem ergo nostram revertamur, usque ad Dei verbum ac filium de lumine in lumen ascendendo, lumen iam protendimus ac lucem, et cum Hermete, Deum quoque patrem, lucem esse referebamus.

Zoroaster vero patri ignem quoque tribuit:

Οὐδ'ἐν ἐῇ δυνάμει νοερᾶ κλείσας ἴδιον πὺρ.

“Neque in sua potentia: mentali clausit proprium ignem.”

Cum autem a Patre Deo omnia sint producta, alio oraculo cecinit, ab igne esse producta:

Εἰσὶ πάντα πορός ἐνὸς εκγεγαῶτα.

“Sunt omnia igne ex uno genita.”

Hunc ignem paternum alibi vocavit lucem et lumen, cum canit:

Χρῆ σε σπένδειν πρὸς τὸ φάος, καὶ πατρὸς ἀνγάς.

“Oportet te festinare ad lucem, et patris fulgorem.”

Alio loco, patris splendorem dixit: